

*fol. 59.* Notum sit omnibus presens scriptum legentibus, quod dominus Nycolaus de Kalkar, istius loci prepositus, circa annos Domini M<sup>o</sup>.CCCC<sup>o</sup>.LXV<sup>o</sup>. sub pignore tradidit illud magnum Decretorum volumen, quod pertinet conventui sancti Jacobi in Langen, venerabili domino Johanni, Emdensis ecclesie curato, pro quadam summa pecuniarum, videlicet quindecim aureorum antique monete florenorum Renensium et decem postulatensibus episcopi Rodolphi Trajectensis monete aureis; sed id ipsum venerabilis pater dominus Johannes Boemel, hujus conventus prepositus, soluta pecuniarum illarum prefata plenarie summa anno prepositure sue quarto, scilicet anno salutis nostre millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, ipso die sanctissimi Anthonii abbatis [Jan. 17.] laudabiliter redemit et in memoriale nostro monasterio pretacto hoc ipsum reportavit sempiternum.

*fol. 62'.* Item notum sit omnibus scriptum presens legentibus, quod religiosus pater dominus Johannes Boemel, hujus conventus prepositus, emit a venerabili in Florido Orto (Werum) Johanne Kempis abbate novum breviarium pro viginti florenis Renensibus antiquis circa annos Domini mille quadringentos octuaginta quinque, ipso die sanctissimi Johannis ante portam Latinam [Mai 6.].

*fol. 81.* Item anno salutis nostre millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo fuit ingens caristia ac magna fames in Frisia, Westphalia, Hollandia et in terminis circumquaque jacentibus propter nimiam pluviam per totam estatem anni pretendentem, et mortalitas pecorum innumerabilium et ovium, et tandem fames invaluit, quod una tonna Hamburgensis siliginis mesure civitatis Emdensis circa festum Gregorii doctoris eximii [März 12.] vendebatur pro quinque florenis Renensibus aureis; item una tonna fabe emebatur pro quatuor florenis Renensibus aureis; item una tonna Hamburgensis ordeï vendebatur pro quatuor florenis Renensibus aureis; item una tonna havene vendebatur pro duobus florenis Renensibus aureis